

M. D. LVII.

1557

Bello inter Paulum Pontificem Maximum ac Philippum Hispaniarum Regem variis rerum successibus gesto, annus quingentesimus quinquagesimus septimus supra millesimum insignis fuit, quo, Gallorum copiis excitis, Germanis, atque Helvetiis Alpes transgressis, Italia magno armorum strepitu, ac tumultu inhorruit. Ab ea tempestate Veneti tantum immunes fuere, cum omne studium in suis ditionibus tuendis, atque in pace suadenda collocarent. Initio de Caroli Carassæ Cardinalis postulatis, denuo repetitis consulationibus, agitatum, atque cur a priore sententia recederetur, cum nullæ essent causæ, re ad Senatum deducta, decretum ejusmodi, quo ei responderetur, latum: *Bello, quod inter Pontificem, ac Philippum exortum esset, Italiæ, ac reipublicæ christianæ, nil gravius accidere potuisse, Senatum arbitrari: ut concordia sanciretur & antea enixe incubuisse, nec post-hac quidquam de propenso in pacem studio precibus, atque officiis remissurum: in eadem vero mente permanere: ni prius a Philippo ex Hispaniis literæ perferantur, de societate ineunda nihil agi oportere. Pontificis Maximi dignitatem, imperii incolumitatem vehementer cupere; quidquid pro iis tuendis tuto, ac salva Republica efficere posset, id omne liberaliter præstaturum.* Cum hoc responso Cardinalis, gratiis Patribus actis, Venetiis discessit. Quo tempore Decemvirum Collegii edicto, gravissimis propositis poenis, cautum est, ne quis eorum, qui Reipublicæ subjecti essent, nomina in exterorum Principum militiam darent.

*Venetorum
decretum
contra sub-
jectos qui
nomina in
exterorum
Principum
militiam
darent.*

Summo interim studio a Gallis copiæ cogebantur; Helvetii iter in Italiam parabant; Brisacius e Galliis reversus veteres copias augebat, Italico peditatu firmabat; Guisus, & Aumalius fratres Gallica nobilitate septi cum egregie instructo equitatu propediem in Italiam venturi ferebantur. His nuntiis Christophorus Madrutius, Tridenti Cardinalis, qui cum summo imperio Insuubris Philippi nomine præerat; atque Aterni Marchio militiæ præfectus, mirum in modum commovebantur, quod militum, ac pecuniæ inopia impares se Gal-

*Christopho-
rus Madru-
tius Card.
Insuubrum
Gubernator.*

lis